

**Morbi simulati et dissimulati : dissertatio inauguralis medico-forensis ... / scripsit Antonius J. Hummel.**

**Contributors**

Hummel, Antonius J.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Budae : Typis Joannis Gyurián et Martini Bagó, [1843]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/rw3uengx>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

*Tract 1233.*

**MORBI**

**SIMULATI ET DISSIMULATI.**

**DISSERTATIO**

**INAUGURALIS MEDICO-FORENSIS**

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

**MAGNIFICI D.**

**PRAESIDIS ET DIRECTORIS**

SPECTABILIS

**DOMINI DECANI,**

NEC NON

CLARISSIMORUM

**D. D. PROFESSORUM**

PRO

**DOCTORIS MEDICINAE LAUREA**

RITE AC LEGITIME OBTINENDA

IN ALMA AC CELEBERR. REG. SCIENT. UNIVERS.

**QUAE PESTINI EST**

SCRIPSIT

**ANTONIUS J. HUMMEL,**

HUNGARUS PESTIENSIS

NOSOCOMII CIVICI PESTINENSIS MEDICUS SECUNDARIUS.

In Theses adnexas disputabitur in palatio Universitatis minori  
Mense Martio 1843.

---

**BUDAE,**

typis Joannis Gyurián et Martini Bagó.



1237  
SIMULATI ET DISSIMULATI

DISSERTATIO

DE ALIQUOT REBUS MEDICO-FORENSIBUS

DE

CONSENSU ET ALIQUOTIUS

DE

FRATERNITATE ET DIRECTORIS

RECTORIS

DOMINI DE CANI

Ita finitima sunt falsa veris, ut in praecipitem locum sapiens  
non debeat se committere.

Cicero Acad. quaest. IV. 21.

SPECTABILI AC CLARISSIMO  
DOMINO DOMINO  
**JOANNI PISKOVICH,**  
MEDICINAE ET CHIRURGIAE  
**DOCTORI,**  
NOSOCOMII CIVICI PESTIENS. PRIMAR. CHYRURGO,  
ET EJUSDEM  
INSTITUTI SUBSTITUTO DIRECTORI,  
L. R. C. PESTIENSIS SUBSTITUTO  
ITEM  
PHYSICO PRIMABIO,  
CHYRURGIAE PRACTICAE IN REG. SCIENT. UNIVERS. HUNG  
PROFESSORI SUPPLENTI,  
I. FACULTATIS MEDICAE COLLEGIATO,  
ET  
REGIAE SOCIETATIS MEDICORUM PRACTICORUM  
**BUDA-PESTIENSIIUM**  
ORDINARIO MEMBRO.



**V I R O**  
**SCIENTIA, ARTE, EXPERIENTIA**  
**HUMANITATE**  
**AC**  
**BENEVOLENTIA**  
**NEC NON**  
**AMORE IN PATRIAM**  
**INSIGNI,**  
**IN PIGNUS PROFUNDISSIMAE VENERATIONIS**  
**GRATIQUE ANIMI**  
**HASCE LABORUM SUORUM PRIMITIAS**  
**DEDICAT**

**Auctor.**

## Introductio.

---

**M**edici publici, per Magistratum concernentem provocati, officium est, quaestionem, in casibus dubiis legalibus, saepe obvenientem: „*num morbus, qualis adesse, vel abesse praetenditur, revera adsit nec ne?*“ resolve, sicque postulatis iudicis satisfacere. — Sunt enim inter mortales multi, qui quemadmodum nihil, dummodo desideratum assequantur scopum, intactum relinquunt, ita saepe saepius et diverso in auxilium vocant status morbosos, quibus credulitatem aliorum eludere tentant. Quod quidem diverso modo in effectum deducunt. Alii fors poenas, aut incumbentia quaedam sibi officia, et obligationes evitare volentes, morbos nequaquam praesentes fingunt — *morbi ficti, simulati* —; alii ex analogis fere motivis, morbos, quibus revera laborant, celant, occultant — *morbi celati* —. Multi auctores, ut tertiam speciem similium dubiorum statuum morbosorum *Morbos imputatos* adnotant, proprie tamen hi, ut loco suo uberius ostendetur, ad morbos celatos referendi sunt, non secus ac illi, qui scopo fraudulento arte provocantur — *Morbi provocati* — ad morbos simulatos spectant. —

Sed quemadmodum morborum simulationem ita eorundem dissimulationem eruere, res interdum est maximis copulata cum difficultatibus. Neminem enim latet, quomodo parte



ex una astuti omnia possibile, quae praesto sunt, media et adminicula, quibus medicum confundere, seducere valeant, in usum vocant \*); parte ex altera vero medicum cautum esse oporteat, nefors e praeconcepta opinione ubique fraudem, ubique illusionem quaerat, sicque facile etiam innocentes in damnum et periculum conjiciat. —

Quod autem ipsam, dubiorum similium statuum morbosorum, legalem concernit investigationem, circa hanc in genere sequentia observanda erunt: Exploratio e supposito aegrotantis, si rerum adjuncta admittunt, fiat ex abrupto et inopinate ita, ut investigando nullum concedatur tempus semet pro Scena, quam ludere cupit, praeparandi, aut necessaria illa, quibus dolum in effectum mittere intendit, adminicula sibi procurandi. Faventibus circumstantiis non abs re erit suspectam talem personam, sub initio investigationis, de huius scopo, in dubio relinquere. alias iterum magis consentaneum, finique maximae conveniens erit, astutum, dum solum inobservatumque semet existimat, in secreto observare, aut eundem, personarum fide dignarum, strenue com-

---

\*) Quam facile medicus falli possit, casus sequens documento sit. Hebraeus epistolam, quae nisi pecunias deposuisset ad locum destinatum, fore minabatur, ut aedes illius incendio tradantur, ad Magistratum defert, factique suspectum assignat juvenem nec obaeratum, nec moribus dissolutis viventem, quod mutuas a se pecunias petiisset. Carceri inclusus fatetur factum, serius maniacum se fingit, talemque medicus quidam declarat. Jam Frank ad inquirendum reum mittitur, qui illi, quod iam pridem usus esset medico ordinario, fraudem fatetur, sanaque per triduum ipsi loquitur. Re renunciata ad principem Spirensem causa Heidelbergam mittitur, reusque ad mortem damnatur. Qua sententia comperta, universa in Frankium concoitabatur civitas. In aedes correctionis defertur juvenis, ex quibus aedes matris, tenere amatae, conspiciere poterat. Post aliquot tempus maniacus denuo comparet, foeces suas devorat, emaciatur pallidus. Frank fidem nunc habens habitationis mutationem proponit. Interea per carceris praefecti filiam a se gravidam Argentoratum fugit unde litteras dimittit, quibus fraudem patefacit. —



mittere observationi. — Caveat medicus ne dolosum mox ad initium investigationis faciat intelligere, pro cuiusnam farinae homine is habeatur. Tutius omnino procedet, dum sinceritatem quandam et crudelitatem affectando, assertis deceptoris malevoli fidem et assensum praebere, sicque semet per eundem quasi delusum videri patiatur, hoc enim modo citissime, securissimeque illuc deducet astutum, ut is minus cautus, verbo aut opere semet prodatur. Dantur interim casus etiam tales, in quibus semitam, priori e diametro oppositam, sequi omnino oportebit. —

Examen similis aegrotantis in genere secundum artis quidem regulas instituendum erit, illud tamen multifariis, a casu individuali coram habente dependentibus, modificationibus obnoxium esse, nemo sanae mentis negabit. Magna sub hoc patientia et diligentia opus est. Si difficilis aleae res est in morbos inquirere, si iudices aequi plures sibi dies sumunt, ut accusati culpam, vel impunitatem eruant, quid de medicis cogitandum, qui de salute hominum decernentes, cum levitate incedunt? At aeger talis examinandus non solum verbis, sed cunctis etiam, si opus est, sensibus, imprimis visu et tactu. Decoris tamen ac honestatis, in sexu praesertim sequiore, ratio diligenter est habenda. Necessarium erit porro rationem omnium, vilissimorum etiam momentorum, aegrique circumstantiarum habere, hae enim maiorem non raro brevi nobis suppeditant claritatem, quam in horas etiam bene multas protractum examen.

Morbi quidam singularem imprimunt notam corpori, aut peculiari semet manifestant habitu externo, v. gr. Amaurosis, cataracta, morbi pectoris, epilepsia etc. ubiubi igitur morbi similes, signis his externis deficientibus accusantur, magna certe ibi, iam a priori, simulationis, fraudisque oritur suspicio. — In casibus momentosis, difficulter cogoscendis ne speres fore, ut prima mox visitatione rem omnem eruas, quae accurata sub indagine nonnisi post septimanas bene multas interdum eruitur. In tali casu non raro accidit, ut visita



alia, tertia aut quarta, scena notabiliter immutata, non parvam rei affundat lucem. — Quamvis vero in genere status aliquis morbosus praesentibus solummodo omnibus essentialibus symptomatibus, qua vere existens considerandus sit; at symptomatibus ne nimium fidas, nec illico, dum aliqua desunt fraudem subversari credas, quam multiplici enim modo natura, pro diversa constitutione organismi, externam morbi queat modificare manifestationem, medicus expertus non potest non scire. — Ceterum in similibus investigationibus, omnem possibilem medicus sibi comparet notionem de praeteracto aegrotantis vivendi modo, morbis exantlatis, consuetudinibus etc. — Quae ex aegro cognosci nequeunt, ex affinibus et vicinis sunt quaerenda.

Quid de remediis externis dolores cientibus, quae interdum ad detegendam veritatem adhibere necesse est, tenendum sit, suo loco uberius exponetur, hic meminisse sufficiat, eadem nonnisi in casibus urgentissimis, subversante gravi fraudis suspicione (fortiora nonnisi cum consensu et auctoritate concernentis Magistratus) et tali modo adhibenda esse, ne exinde sive sanitatis, sive vitae redundet in individuum iisdem subjiciendum, periculum.





## Morbi ficti, simulati.

Morbi diversi, diversis ex causis simulari, imitarique solent. Dantur etenim homines, qui morbo quodam sese laborare putant, quin eodem revera laborent; sed dantur etiam tales, qui morbo quodam sese laborare simulant, ut certis officiis et obligationibus semet subducant, militia v. gr. qui eximi volunt; ut poenas, v. gr. corporales aut carcerum evitent; ut aliorum misericordiam et crumenam, prout id mendici et vagabundi facere solent, emungant; ut attentionem aliorum excitent, aut alio quocunque demum imponant modo; sunt denique et tales, qui morbo sese laborare fingunt ex malitia, ut videlicet illum, cuius curae et tutelae concrediti sunt, in sollicitudinem et anxietatem conjiciant. — Ceterum probe animadvertendum, morbos similes non semper perfecte fictos esse, subinde enim morbi tales, quamvis in exiguo gradu revera praesto sunt, sed tantum ob causas iam superius allatas ab astutis multum exaggerantur, intenduntur.

Simulantur vero morbi potissimum tales, quorum symptomata admodum in sensus cadunt, et facile imitari possunt, aut tales, qui certis tantum intervallis redeunt, tempore vero intermedio sanitatem intactam relinquunt, e. gr. epilepsia. Rarius seliguntur in hunc finem morbi chronici, decursus lenti, nullis peculiaribus, attentionem aliorum hominum excitantibus signis stipati, ad hos enim imitandos enormis, ut quivis facile perspiciet, requiritur patientia, singularis attentio et animi praesentia. magnaue sui ipsius abnegatio. — Interim pauci selummodo existunt morbi, qui non iam fraudulenta ex intentione imitati fuissent, et quidem saepe singulari cum dexteritate, admirabilique patientia et constantia. In casibus tamen quibusdam et id observatum est, quod morbi nonnulli,



v. gr. Epilepsia, per longius continuatam imitationem, realis habitualisque evaserit. —

Relate ad media et adminicula, quibus medicus certus de eo reddatur, num morbus quidam simuletur, nec ne? sequentia sunt tenenda: symptomata morbi, tamquam producta activitatis naturae, nunquam sincere, sed semper tantum in certo verisimilitudinis gradu imitari queunt. Subversante igitur suspicione, Medici interest detegere, in quantam phaenomena praesentia in ipso organismo orta, vel vero per conamen et adstrictionem impostoris producta sunt. Hoc perspicere interdum non adeo arduum est, in multis tamen casibus multis praemittitur difficultatibus, imprimis si deceptor peculiari aliqua polleat dexteritate, si in scena, quam ludit, bene exercitatus sit, ac demum si peculiaribus sive individualibus, sive externis adjuvetur relationibus. In genere tamen admodum pauci tantum existunt homines, qui necessariis dotibus, imprimis animi praesentia et constantia tali in gradu provisi essent, qualis requiritur ad rite, consequenterque praefixum sibi planum persequendum, quive continuis, diversissimisque experimentis et periculis non tandem succumbant. Accedit et id, quod communiter illi, qui similem in effectum deducere intendunt astutiam, de natura et decursu morbi simulandi iustam non habeant cognitionem, quo fit, ut in eius symptomatum immitatione graves committant errores, e quibus minus etiam attentus observator fraudem facile cognoscet. —

Invigilet medicus dum suspectum talem examinat aegrum. an non ille perplexitatem, incertitudinem, haesitationem, aut e contra an non temeritatem quamdam prodat? attendat porro ad modum et rationem qua suspectus morbi enarrat historiam, an non fors contradictiones in eam involvat? Inquirat sedulo in omnia adlata etsi vilissima momenta et circumstantias; caveat tamen ne ob immature, inoportunoque tempore proditum dubium et diffidiam, simulantem ad maiorem constantiam, ad diligentiores, cautioremque fraudis persecutionem incitet, sicque semet ipsum mediis et auxiliis ad eruendam



veritatem necessariis privet. Dolum potius conetur vertere dolo, anxius etenim et anceps dum haeret impostor, nescitque quid fidei apud medicum meruerit, cum per exaggerationem et exaltationem omnium momentorum, majorem assertis suis vim probandi conciliare nititur, involuntarie contradictionibus et erroribus intricatus, fraudem denudabit. — Visitet aegrum suspectum medicus tempore indeterminato, saepe tali, quo ille minime opinatur id fore futurum, v. gr. mane summo, aut vespera sera, clam eundem observet et auscultet, dum is securum ab insidiis semet putat, aut in somno constitutum, juvabit interim hoc negotium et aliis, confidentia medici dignis personis concedere. Nec inutile videtur, si medicus historiam morbi, per aegrum relatam, cum omnibus etiam singularibus momentis bene mente teneat, sic etenim fiet, ut, dum hanc repetitis vicibus aegrum praestare jubet, irrepentes nefors in eam errores et contradictiones facillime animadvertat. Imo per saepius iteratum examen non raro succedit medico rem illuc perducere, ut pertinacissimi etiam deceptores taedio tandem pertesi, et confusi, in fine propositorum suorum immemores, impatientesque, semet ipsos prodant. —

Dum suspectus talis aeger custodiae publicae non subiectus inter suos versatur, his etiam clam invigilandum erit, persaepe enim impostori hac ex parte auxiliatrices solent supeditari manus, quod postremum si quidem comprobatum fuerit, investigandus, si rerum adjuncta admittant, influxibus his subtrahendus erit. —

Si continuata solerti, accurataque observatione compertum fuerit, quod in simulato per aegrum morbo, essentialia quaedam symptomata continuo desiderentur, aut quod alia quaedam eodem tempore simul occurrant, quae ipsius morbi naturae convenienter simul existere nequeant, aut quod morbus praetextus inconsuetum, omni experientiae alienum observet decursum, aut quod accusata morbi causa, cum eius reali existentia nullatenus cohaereat, aut denique, quod in individuali subjecti relatione fundata simulationis causa subver-



setur, tunc omnino maxima cum probabilitate suspectum talem aegrum fraudis arguere licebit. —

In casibus quibusdam ad veritatem eruendam, medicamina quoque in usum trahere juvabit. Subinde euim adhibitis remediis perfecte indifferentibus nimii adscribuntur effectus, aut tales, qui porrectis remediis nullatenus respondent etc. Praescripta nauseosa, ingrati odoris, saporisque medicamenta, applicatio remediorum externorum dolores excitantium coordinatio diaete tenuis, prohibita sermocinatio, interdictus usus fumi tabacae, potuumque spirituosorum v. gr. vini, cremati etc. rem non raro illuc perduxere, ut suspecti tales aegri, argutias suas palam tandem confiterentur. Cum remediis dolorificis, uti: Synapismis, vesicantibus, causticis, moxa, ferro candente etc., medico, quem leges humunitatis semper prae oculis habere oportet, caute mercandum est, eo quidem a fortiori, cum rei veritas nec his quidem semper eruatur. Sicut enim parte ex una possibile omnino est, ut individuum quodpiam revera aegrotans, ast debilis constitutionis semet fraudis arguat saltem ea propter, ut a causatis per haec remedia cruciatibus liberetur; ita parte ex adversa fieri iterum potest, ut veri etiam deceptores per applicationem similium remediorum adhuc magis obstinati, consequentesque reddantur, durantibusque sub cruciatibus admirabili cum resignatione et animi fortitudine sese consolentur eo, quod superatis et his, tandem ad desideratam perveniant metam. Ideo in cunctis casibus similibus summa praecautio opus est, medicusque ad remediorum horum usum tunc tantum recurrat, ubi fraudem subversari maxima cum probabilitate suspicatur, aut si haec plane iam alibi evicta est. Probe porro notandum, remedia similia semper etiam morbi, adversus quem in usum trahuntur, naturae respondere debere, neve illi, qui iisdem subjiciendus est, detrimentum sanitatis, aut vitae adferant. Saepe sufficit si medicus similium remediorum applicationem aut minetur, aut apparatus eorum aegro monstret, vivamque dolorum sic excitandorum eidem conetur describere imaginem,



tunc enim non raro timore perculsus talis aeger fraudem fatetur. Interim tamen medicum et illius oportet esse memorem, quod terror subitaneus, in individuís imprimis debilioribus magnum saepe sanitati adsciscat detrimentum, quodve loco simulate veram provocare valeat epilepsiam. — Mitiora huius generis remedia, v. gr. leviores acupuncturae in simulata paralyssi singularum organismi partium, sine discrimine tentari possunt. —

E morbis, qui ab impostoribus potissimum pro simulatione seligi solent, praecipui sunt sequentes :

*Epilepsia* saepe fingitur et fingitur quidem sat facile a mendicis, ab iis qui militiae adstringuntur, aut carceri includuntur etc., quorum quidam nec ad acum sub ungue adactum doloris sensum edunt. Solers saepiusque repetita observatio, duranti-  
bus insultibus, unicum est medium veritatis detegendae. In epilepsia vera ingruentibus convulsionibus perit sensus et conscientia, hinc aeger non est in statu semet ad locum aliquem aptum conferendi, ibique paroxysmum exspectandi, quae causa frequentium sub lapsu laesionum. Lapsus subitus saepe cum clamore contingit. Quidam antequam labantur, in gyrum aguntur, alii currentes, terramque calcitrando tundentes corruunt, quam tundere saepe pergunt collapsi. — Oculi sunt fixi, pupilla immobilis, erga stimulum lucis insensilis, vel spasmodice tremens etc. In epilepsia simulata insultus potissimum in praesentia multorum hominum, et saltem de die, nunquam noctu contingunt, paroxysmi omnes eundem tenent decursum, (quod in epilepsia vera locum non habet) potissimum etiam diutius protrahuntur; ob defatigationem, quae deceptorem invadit convulsiones circa finem insultus communiter evadunt debiliores, — Ante lapsum simulator locum quaerit, laesiones evitaturus, securum, si tamen hae contingant, indicia doloris in lineamentis faciei depinguntur. Modus et ratio, quo motus convulsivi extremitatum fiunt, produnt quidpiam artificialis. Pupilla ad stimulum lucis intensioris contrahitur; spuma vel nulla os tegit, vel mera constat saliva, ut



producitur per saponem, aliasque similes in os susceptas materias; desideratur porro parvus, contractus; frequens, inordinatus pulsus, cordis palpitatio, contractiones musculorum abdom: difficilis stertens respiratio. Priapismus ac seminis eiectio in viris, urinae cum impetu involuntaria evacuatio epilepsiae quidem verae propria sunt signa, ex illorum tamen defectu ad fraudem nequaquam valet conclusio. Praeter haec adlata momenta, quae penes diligentem observationem iam sola saepe sufficiunt ad fraudem denudandam, in casibus nonnullis ad remedia dolorifica mitiora, irritantia, sternutationem provocantia etc. confugere fas erit. — Fortiora, uti: ferum candens, moxa etc. summa non nisi cum cautela solummodo tunc adhibeat medicus, ubi de subversante fraude persuasus, obstinatum via alia ad fassionem perducere nequit. Ceterum et hic prae oculis habeat, dari partim homines, qui maximos etiam dolores cruciatus cum contemptu sustinent, partim vero possibile esse, ut verus etiam insultus epilepticus, per actionem fortiorum remediorum externorum in Syst: Nervosum, interrumpatur, aut applicationem eorum tunc contigisse, cum insultus utique iam finem attigerat, quo in casu sublatae convulsiones iniuste adplicitis adscriberentur remediis fortioribus externis.

Quod de epilepsia dictum est, valet etiam de aliis morbis spasmodicis, uti: *Chorea Sancti Viti*; *Tarantulismo* \*) *Catalepsi*; *Tetano* etc. qui tamen multo difficilius quam epilepsia imitantur, partim quod eorum symptomata essentialia inter plebem minus cognita sint, partim vero, quod simula-

---

\*) *Tarantulismus* morbus (apud nos vix occurrens) qui per tarantulae ictum induci quondam putabatur, non sanandus, nisi per sudores largos inter saltationem protractam excitatos. Exemplum habet Bartholinus observationum centuria VI. etc. habet Wedel. Baglivius melodiam adeo reliquit, ad quam saltatio esset instituenda. At ictu tarantulae nonnisi tumor dolens inducitur. Saltandi furor certe fingebatur, sive ut vel saltandi desiderio impune satisfacere foeminae possent, sive ut aliis imponerent, elemosinam referrent etc.



tio eorum in longum protracta multis cum incommodis conjuncta incedat. — Applicatio remediorum dolores cientium et in his ad fraudem evertendam plurimum contribuit, et quidem eo a fortiori, quod, praesertim in postremis, terror et dolor vehementibus convulsionibus nequaquam larvari possit. In simulata *catalepsi* membrum onere gravatum multo celerius dehiscit quam in vera; in situm autem incommodum delatum mox tremere, et hunc derelinquere sataget.

*Convulsiones leviores, spasmi hysterici* non raro a feminis simulantur. Observatio pulsus, qui in plurimis affectionibus spasmodicis parvus, irregularis et contractus est bonum suppeditat criterium. Simulatam hysteriam a vera medicus facile distinguet, dummodo posterioris apprime noscat decursum.

*Animi deliquium, Lethargia, Asphyxia* saepe feliciter imitantur. — Praeter investigationem pulsus, et strenuam observationem in similibus casibus remedia dolorifica medicum ad scopum deducunt.

Imitatos *insultus apoplecticos* per sedulam et accuratam respirationis observationem medicus cognoscet, impossibile etenim est stertorosam respirationem longius in tempus, uti hoc in Apoplecticis obtinet, protrahere; e defectu frigidi, viscidique sudoris, aliorumque notissimorum symptomatum, et denique et exinde, quod apoplecticus status non facile pluribus duret diebus, quin morte, aut alio quodam morbo secundo terminaretur. —

*Paralyses partium organismi singularum* admodum frequenter simulari solent. Partis tamen e supposito paralyticae vegeta conditio, praesensque sensibilitas, quam per applicationem moxae, ferri candentis, institutam urticationem, acupuncturam, detegere licet, — fraudem accusant. — *Paralysis vesicae urinariae*, et exinde promanans *impotentia urinam retinendi* num simulata sit cognoscitur, si simulator ad urinam mittendam provocatus, hanc pleno rivo evacuet, vel si summo mane per immissum catheterem insignis effluat, urinae quantitas. —



Cautus interim sit medicus in testimoniis circa morbos nervosos tradendis, ne deceptus fors sontem poenis eripiat, aut fide non solum sua, sed aliorum quoque medicorum pessumdata efficiat, ut vere aegrotans durius habeatur a iudice, ut *Frank* contigisse novit sacerdoti, qui rejecto *Gattenhofii* consilio, ex carcere subterraneo non est exemptus, atque post biduum decessit. —

*Ebrietas* (quamvis probrum ad morbos non spectet, hic tamen commemoranda) non raro simulatur a malevolis, dum ob commissas illegales actiones poenas incurrunt, quas sic modificatas et mitigatas habere cupiunt. In simili quidem casu medicus rarissime oportuno advocatur tempore, quo praetextam ebrietatem observare, veram a ficta discernere posset, dum tamen id fit, fraudem facile perspiciet. —

*Status psychici abnormes: melancholia, mania, furor, stultitia, stupiditas, fatuitas, cretinismus* frequentissime et simili ut ebrietas e scopo, — ne videlicet commissa delicta reis imputentur, aut imputata mitius puniantur, — simulantur, et quidem persaepe optimo cum successu. Interim simulatio statuum animi morbosorum saepe iam inde cognoscitur, quod tales astuti, turbatum suum mentis statum studioso, in sensus nimium incidente modo, ostentant, symptomataque adfectentur, quae diversissimis animi morborum formis propria sunt. — Periodici huiusmodi morborum animi status subinde, magna cum dexteritate et verosimilitudine imitantur, illi vero, in quibus nulla conceduntur mentis intervalla lucida difficillime et rarissime tantum longiori tempore tam consequenter simulari possunt, ne protracta accurata observatione fraus tandem detegatur. Peculiariorum statuum animi morbosorum criteria sunt: Vesanorum nota immundities, exigua receptivitas erga remedia emesim moventia, contemptus frigoris, et specificus vesanorum odor (*Hill* et *Burronos*) etc. Notandum tamen, quod signa haec interdum apud vere vesanos etiam desiderantur. —



Nostalgia a militibus, famulis etc. in exteris regnis servientibus fingi solet. — Vera et genuina Nostalgia brevi tempore insignes in organismo producit mutationes, quales sunt: emaciatio, pallor, appetitus prostratio, somni fuga, tristitia etc. ubi e contra deceptor corpore et animo bene valens cibos et potus non aversatur. —

*Somnambulismus, Inspiratio, Demonismus* sunt status, quos impostores iam ab antiquis temporibus in usum vocarunt ut attentionem aliorum excitent, commoda quaequam acquirant, sicque desideratos consequantur fines, Pro diversa constitutione horum statuum, diversa quoque, per casum singulum determinanda, veritatis eruendae ergo adhibenda erunt media et adminicula.

*Vitia et morbi organorum sensuum* simulantur a tironibus, ut a militia eximantur, a mendicis et vagabundis, ut misericordiam aliorum moveant. — *Surdo-mutorum* diligens observatio momenta suppeditat diagnostica, quibus statum abnormem verum a ficto facile dignoscere est. Modus gerendi surdo-mutis proprius, peculiares quos eliciunt, aures aliorum male ferientes, toni non facile ab astutis imitari queunt. *Surdus* simulatus facile semet prodit si inopinate acclametur nomen illius, si in illius vicinia, aut tempore somni strepitus, explosio v. gr: sclopeti etc. contingat. Nec superfluum videtur meatum auditorium externum explorare, num corpora peregrina huc per simulantem fors introducta, imitationem status huius abnormis non adjuvent. Non raro detegitur, quod impostores per injectas materias acres, causticas artificiales provocent *inflammationes et fluxus aurium*. — *Mutum* fictum clam observare, auscultare juvabit, an non fors solum semet existimans, secum ipso, aut in somno sermocinetur, prosunt et hoc scopo remedia dolorifica. Dum defectus loquelae sine defectu auditus simulatur, adesse debent vitia organica instrumentorum ad loquelam conferentium vel paralysis nervorum concernentium — E vitiis et morbis organi visus simulatis ante omnia commemoranda erit *coeci-*



*tas.* — In *Amaurosi* characteristicæ sunt: dilatatio et immobilitas pupillae. Prior quidem provocari potest per instillationem quorundam narcoticorum in oculum factam, horum tamen virtus brevi solummodo durat tempore, frausque per continuatam strenuam observationem brevi patebit, confirmatur hæc insuper, si aeger ad inopinatam admotionem instrumenti cuspidati, caput retrahat, vel nictitet; præterea bene etiam advertendum, num notus amauroticorum situs sub incessu adsit, nec ne? *Myopia* et *Presbyopia* simulata per applicationem vitrorum convexorum et concavorum cognoscitur. *Inflammatio bulbi oculi* et *palpebrarum* per instillata acria et caustica remedia artificialiter producitur, hæc tamen instituta therapia rationali cito et facile suffertur, dummodo aeger, continuæ observationi subjectus impediatur organon hoc novitus irritare. —

Quemadmodum vitia et morbi organorum sensuum; ita et alii *naevi corporis*, potissimum in sphaeram Chirurgiæ pertinentes, partim accusantur, partim imitantur, v. gr. *tumores*; *indurationes*; *ossium fracturae*, *luxationes*, *contracturae*, *prolapsus*, *herniae*, *hydrops*, *struma*, *ulcera*, *aliique morbi cutanei*. Sic solent impostores non raro v. gr. *Pemphigum* simulare per applicationem vesicantium; *prolapsum intestini recti*, ope intestini bovini sanguine imbuta spongia farcti; *prolapsum uteri* eodem fere modo; *ulcera* usu remedium acrium causticorum et epispasticorum; *tumores emphysematicos* per inflatum infra cutim aërem etc. — In casibus tamen his singulis fraus facile detegitur, si pars adfecta bene mundata diligenti et accuratae subjiciatur investigationi. Artificialiter provocata et sustentata ulcera et inflammationes sanantur sat cito et facile, dummodo cura habeatur, ne subjectum illis obnoxium campum acquirat, remedia, quibus olim status hos abnormes produxit, porro quoque adhibendi. —

Morbi, qui cum excretionibus peculiaris indolis conjuncti sunt, uti: *Haemoptoë*, *haemorrhoides*, aut *haemorrhagia* e partibus genitalibus tam apud viros, quam foeminas, per



absumentum, aut, ut corpus delicti, monstratum, sanguinem animale, per bolum, aut alias materias tingentes imitari solent, aut denique sanguis ejectus, suctione e gingivis elicitur. *Phthisis purulenta* per usum copiosum expectorantium v. gr. ficuum, simulari potest, aut vero sputa monstrata, certis materiis remixta, sicque puri similia reddita sunt. Cum tamen in simili casu reliqua symptomata pathognomonica, uti: emaciatio corporis, tussis, sudores nocturni colliquativi etc. desint, illusio haec potissimum brevi tantum durare potest tempore. — Excretiones contranaturales variarum rerum, v. gr. ranarum, lacertarum, piscium, ossium, pilorum, lapidum, acuum, tamquam crassae fraudes semper facile evertuntur, nec aliud praeter aliquod acumen ingenii ex parte medici, diligensque observatio ad id requiritur. — *Secessus ossium* apud mulieres per vaginam, in casibus graviditatis extrauterinae, omnino locum habere potest. —

Dum morbi simulantur *febriles*, symptomatum cunctorum ratio est habenda, singula enim illorum facile imitari possunt, e. gr. pulsus mutatio, per ligationem artus provocata; singularis et propria febricitantium urina, admixtis v. gr. tingentibus; pulvere tegularum etc. producitur. Saepe deceptores potibus utuntur spirituosus, aut aliis remediis incitantibus, ut hac ratione artificialem systematis vasorum exaltationem provocent, quod saepe iam solo usu potuum calidiorum theatorum efficitur. Subitanea horum symptomatum emansio, quamprimum causae excitantes agere desierunt, fraudem denutat. Simulantur interdum etiam *paroxysmi febrium intermittentium*, ubi calor et sudor, post praegressam adstrictionem frigus simulandi, revera subintrare solet. Usus remediorum ingratorum, diaeta tenuissima, denegatum consortium cum aliis, brevi potissimum efficiunt, ut impostor impatiens, propositi immemor, scenam mutet, dolumque fateatur. — Notandum tamen est, quod illi, qui per abusum fortiorum, incitantium remediorum, sponte statum febrilem sibi adsciverunt, non amplius qua simulati, sed qua realiter aegrotantes, considerandi sint. —



Dolores varii generis, uti: *cephalalgia*, *odontalgia*, *cardialgia*, *gastralgia*, *enteralgia*, etc: etc: commode; et ideo admodum libenter simulantur. — Eorum existentia, aut non existentia nullis manifestatur signis externis, hinc nec facile per alios dijudicari potest, Justa tamen latitantis fraudis exorietur suspicio, si sub longiori etiam duratione praetexti eiusmodi doloris, status organismi reliqui nihil patiat, si pulsus tempore apparentis insultus immutatus maneat, si denique status talis brevi tantum durans tempore, subito cesset. Juvabit in similibus circumstantiis, veritatis eruendae ergo ad remedia externa dolores scientia, derivantia, ad minas cum operationibus chirurgicis, confugere. —

Dum *abstinentia a cibo* longiori simulatur tempore non minus aegro, quam illius agnatis et amicis probe invigilandum, cum non raro ex hac parte cibi astuto subministrentur. Si post longius etiam praetextum jejunium, nullam aeger corporis patiat jacturam, quae in vera ciborum abstinentia non potest non ingruere, latentis fraudis suspicio multum confirmata est.

In imitandis *morbis hepatis* dolosi cutim flavo tingunt colore, ast hic cutim abluendo fraus illico cognoscitur, insuper albuginea oculi, praesente tali rerum statu, de flavo nunquam participat colore. —

*Impotentiam* viri saepe accusant, dum imputatam sibi impregnationem effugere volunt, aut causa procurandi divortii.

In casu *praetextae intoxicationis*, ad veritatem eruendam confert, enumeratio praegressorum Symptomatum, horumque cum intoxicationis verae Symptomatibus collatio, habitaque differentiarum ratio. —

*Ipsa mors* interdum sistit objectum simulationis. Auctores multi, plura adferunt exempla hominum, qui respirationem, pulsum arteriarum et cordis pro arbitrio sistere valuerunt. \*) Apparatus circa instituendam sepulturam, aut sectionem, optima sunt media, quibus similia cadavera vitae restituntur. —

Ast non tantum morbi simulati, verum etiam *praetextae et fictae morborum causae*, objectum saepe legalis constituunt investigationis. Non rari etenim sunt casus, in quibus morbus aliquis revera quidem existit, dum tamen dubium exoritur, num causae quibus aeger originem morbi tribuit, hunc

---

\*) Inter Hindus dicuntur inveniri individua, quae in provocando, simulandoque mortis statu adeo exercitata sunt, ut semet plane per septimanas (?) inhumari patiantur. (Lancet 1838). —



reapse etiam provocare potuerint? Sic v. gr. dum quispiam in morbum incidit post peractos inconsuetos, vires nimium exhaustientes labores; post perpessas poenas corporales, post vehementes mentis, animique motus, post usum alimentorum quantitate, qualitateque peccantium, post absumpta medicamina, venena etc. — Interim tamen saepe accidit, ut morbi causa assignetur, quae cum illius origine nil communis habet, partim ut affectus poenas, partim bonae famae et honoris jacturam, quae cum similium statuum morbosorum v. gr. syphilidis, acquirendi modo conjuncta incedit, effugiat. — Jam medicus publicus similibus in casibus duo haec imprimis momenta perpendere et resolvere debet, nimirum: 1-o Potuitne morbus praesens in genere assignata ex causa initium sumere, et 2-o morbus in casu eorum existente effective etiam ex eadem causa ortum duxerit? — Haec apprime distinguere et definire magnis persaepe premitur difficultatibus, partim ob densas, quibus tam frequenter momenta actiologica obteguntur tenebras, partim ideo, quod morbus idem diversis e causis originem sumere possit, ut adeo rarissimis nonnisi in casibus assignatam morbi causam, omnimoda cum certitudine inficiari liceat. — Augentur difficultates hae, si morbus complicatus sit, si feliciter simuletur, si ortus eius influxibus psychicis adscribatur, aut denique si ad epidemicos tunc regnantes referendus sit.

Et hic, prout in simulatione morborum diligens aegri requiritur examen, videndumque ante omnia num morbus ipse simulatus non sit, num accusata causa cum morbi gradu conveniat, et num aeger potentiae huic nocenti tali in gradu expositus fuerit, qui ad provocandum morbum omnino suffecisset? — Relate ad simulatam causam adhuc inquirendum, an effective ad morbum organismum disposuerit, vel vero qua causa occasionalis praesente diathesi ad morbum generandum contulerit? — Non est in similibus casibus negligenda experientia propria aut aliorum, videndumque num haec casus supeditet, in quibus e causis similibus, similes producti fuerint morbi. — Spectat morbus ad epidemicos tunc grassantes, origo illius ex assignatis tunc aliis potentiis magno in gradu dubia erit. — In morbis ad campum Chirurgiae spectantibus ante omnia investigandum: an oblata laesio revera praegressae violentiae adscribenda, aut an non fors vitium quoddam inveteratum recentis originis esse asseratur? In genere in postremis his malis verum a falso distinguere nequaquam tam arduum erit, quam in internis, complicatis imprimis morbis. —



## Morbi celati, dissimulati.

Morbi *celati* dicuntur illi, quorum praesentia ab individuís iisdem adfectis, negatur, aut occultatur. — Dissimulatio morborum potissimum tunc locum habet, dum ex eorundem existentia aut damnum quodpiam, aut infamia, in personam illis obnoxiam redundat v. gr. solutio matrimonii, officii et servitii ammissio, vel poena fors corporalis, aut carcerum. Spectant huc: *Syphilis* in omnibus suis formis; *morbi cutanei* quidam foedi, uti: *lepra*, *psora*, *porrigo*, *tinea*; porro *phthisis*; *epilepsia*; *vitia corporis* omnis generis, *morbi* et *vitia organorum sensuum*; *impotentia virilis*, et *sterilitas*, *anhelitus* foetidus, ulcera chronica, morbi psychici etc. imo ipsa mors nonnunquam celata est. Interim morbi similes tunc tantum constituunt objectum investigationis medico-forensis, si per eorundem dissimulationem in jura aliorum involatur; dum enim agitur de ulteriori morbi, per suspectam aliquam personam, propagatione, res ad forum politiae medicae relegatur. —

In genere citra investigationem morborum celatorum omnes illae observandae erunt leges, quas iam, dum de morbis simulatis actum fuisset, commemorare libuit. — Examen aegri hic non minus ac ibi omnium cum sagacitate et accuratia instituendum; aeger, si opus fuerit, vestimentis detractis investigandus, omniaque momenta, quae rei quamdam conciliare valent claritatem, diligenti subjicienda erunt scrutinio. Astutia et obstinacitas aegri et hic non raro negotium medico summe difficile reddunt, frequenter enim symptomata morbi praesentis maxima cum dexteritate occultantur, aut per simulationem symptomatum alterius morbi sedule absconduntur. — Ceterum cum latentis hic fraudis detectio, a justa ex parte medici cognitionis diagnosticae, et semioticae applieatione dependeat, uberiores morborum supra enumeratorum descriptionem silentio praeterire placet, quae tamen commemoranda sunt, ad sequentia fere reducuntur: *Syphiliticae affectiones*, antiquis temporibus non parcas pepererunt difficultates, dum nostro aevo, morbo eiusque diversis formis melius cognitis similes investigationes facilius desiderato cum effectu instituuntur. Arduum tamen non tam infrequenter est eruere, num *blenorrhoea* apud viros, et *fluxus albus* apud foeminas, se-



quela celebrati coitus impuri, vel vero aliarum potentiarum nocentium, existat, cum essentialia, discrimen indicantia signa haud assignentur. *Efflorescentiae cutaneae syphiliticae indolis* aequae non raro cum analogis morbis cutaneis, nequaquam tamen syphiliticis, confunduntur. — Respectu vero *ulcerum syphiliticorum*, inoculatio eorundem, in casibus dubiis optimum suppeditat criterium. — — *Psora* quoque saepe inter morbos difficulter distinguendos spectat, huius enim habitus externus diversis momentis adeo modificatur, ut persaepe admodum difficile sit eius praesentiam definire. — *Lepra* nostro aevo in Europa raro aut plane non occurrit, et nec facile cum alio confunditur morbo. — Morbi alii cutanei, imprimis *ulcera foeda*, si ante contractum matrimonium celata fuerunt, non raro ansam divortiorum praebent. Cum vero haec per adplicationem certorum remediorum brevi pro tempore dispareant, maiori iterum cum impetu dein in conspectum proditura, caveat medicus, ne praematuram ferat sententiam. — *Phthisis* ad morbos contagiosos quidem non spectat, quamvis talis esse in calidis praetenditur regionibus; nihilominus per longius consortium, imprimis in matrimonio et per usum lecti communis communicari omnino potest. — *Anhelitus* et *sudor foetidus* interdum periodice tantum invadunt, e. gr. foeminas tempore fluxus catameniorum etc. in similibus rerum adjunctis, repetitis vicibus investigationem suscipere oportet. — *Epilepsia* aliaque huic analogae nevroses, ob intervalla saepe longiora penitus libera, favent dissimulationi, imprimis tunc, dum aegrum continuo observare nefas est. — In celatis *morbis psychicis*, secundum generales, in dijudicandis perturbatis animae functionibus recensitas leges, procedendum. — *Mors* nostris adminus temporibus admodum brevi tantum tempore celari, et occultari potest, casusque tales solummodo tunc objectum medicinae forensis constituunt, dum superstites agnati, ex simili mortis occultatione, commoda quaequam v. gr. longiorem usum beneficii etc. consequi cupiunt. —

## Morbi imputati.

Morbi hi ad celatos referendi sunt, imputatio enim morbi cujusdam potissimum cum eiusdem dissimulatione conjuncta incedit, nisi fors fieret, ut homo perfecte sanus morbi arguatur, quod tamen quantis cum difficultatibus iunctum sit sane quivis facile perspicit — Imputantur vero morbi varii tam



corporis, quam animi, e motivis quidem diversissimis, passim tamen e vindictae studio, malitia, desiderio haereditatem, aut alia quaedam commoda, beneficiaque consequendi, solutionem matrimonii procurandi, aut alium in exercitio certorum jurium impediendi etc. — Investigatio generatim secundum leges illas instituenda est, quas penes explorationem morborum dissimulatorum adferre licuit. —

### T h e s e s.

1. In morbis simulatis, cum remediis externis dolorem cientibus, imprimis fortioribus, caute mercandum est medico.
2. Ille, qui simulandi morbi gratia, per abusum incitantium sponte statum sibi procuravit febrilem, non amplius qua simulator, sed qua reapse aegrotans considerandus est.
3. Vulgaris pharmacorum in foris, et mercatorum fornicibus venditatio, prout scientiae medicae noxia, ita sanitati civium deleteria.
4. Ernditio sola medicum tantum format theoreticum, ipsa ars condisci debet ad lectos aegrorum, et ideo
5. Praxis Nosocomialis juveni medico summe necessaria.
6. Concisio cataractae, non minus quam extractio, curam sistit radicalem.
7. Saepe praestat medicum aegri amicum esse rogantem, quam dominum imperantem,
8. Fiducia enim aegri in medicum, potens iam unum sistit remedium.
9. Prognosis, quia raro certissima statui potest, nec de aegri, nec de medici sorte decernit.
10. Non magister, sed minister naturae est medicus.

Hippocrates.

